

Bibliothèque numérique

medic@

**Thomas, Pierre - candidat / Brasdor,
Pierre - président. - [De tendinis
Achillei rupturâ]**

1755.


***Paris : Typis Delaguettes, Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°51



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0051](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0051)




D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



U^m nec adeò infrequens sit tendinis achil-
læi ruptura, nec eorum quibus accidere po-
test concursus difficilis; mirum certè de
ejus possibilitate hoc sæculo controversum
esse; nec priùs in numero calamitatum
quibus obruitur mortale genus, adscriptam
fuisse. De hoc morbo tractaturi ad clariorem nostri argu-
menti intelligentiam, pauca de Anatome ad id spectante præ-
mittemus.



2

CORPORIS humani motus diversi Musculorum ope absolvuntur ; musculi autem sunt massæ quædam ex fibris diversè dispositis, eâdem serie ut plurimum rubris & albis conflatæ.

DIVIDITUR musculus in medium quod quidem *venter* ; *caro* audit ; & extremitates quas improprie admodum , *caput* & *caudam* , *originem* & *insertionem* , *punctum fixum* & *punctum mobile* plurimi appellaverunt.

VENTREM , musculi partem densiorem , mollem , rubram , quæ sola arcutatur si consideres , illum videbis componi plurimis fibrarum sibi plerumque parallelarum fasciculis , qui membranâ cellulosa , intus oleo plenâ speciatim inclusi , ab eademque commune involucrum accipientes , & fibrillis transversalibus quasi alligati in alios rursus dividi poterunt fasciculos , iterum cellulosa telâ inclusos & separatos , usque dum ad ultimam divisionem , aut saltem humano oculo conspiciendam perventum fuerit.

FIBRÆ mox descriptæ in utroque ut plurimum musculi extremo gracilescentes , albescentes , indurescentes , aggestæ , raro , breviorique textu cellulari coercitæ , vel in funiculum coeunt , tuncque tendinem , vel instar membranæ expanduntur , & aponevrosim efformant.

PER cellularem membranam musculares lacertos dividentes , involventem , dividuntur arteriæ in mediâ seu carneâ musculorum parte numerosiores , pauciores verò in tendinibus. Arteriis comites eunt venæ. Nervi quos in interiore musculorum compage , ob depositum durius involucrum longius prosequi non licet ; cellularem quoque fabricam , & quidem majore copiâ subeunt , musculumque pererrant. Tendinibus autem nullos , vel saltem paucissimos , inesse autopsia docet anatomica , quod & experimentis *Gottingæ* (a) factis licet colligere , nili dicatur illos , ob compactam tendinum structuram , in internâ eorum substantiâ , sensibilitate solitâ oriri.

(a) Vide *Pet. Cast.* Specimen inaugurale medicum *Gottingæ* ; *Celeb. Haller* dissertat. de partibus sensibilibus in actis Societatis *Reg. Scient. Gottingensis*. Tom. 11. pag. 118.

FIBRÆ elementaris fabricam suæ de musculorum actione opinionem faventem quisque excogitavit : hac de re nihil aliud asseri potest præter quàm fibrillam quamlibet minutissimam microscopio examinatam similem se majoribus exhibere. Illas non esse *ultimi nervi expansionem tenuissimam*, &c. [b] an ex eo conjectare licet, quòd sint irritabiles : nervi verò minime [c] ? Musculorum contractionis phænomena fibræque carneæ structuram cognitam perpendenti motûs istius causam per nervos in musculus advenire modo quo agit ignoto tantum asseri posse, apparebit.

NUM opinionem quâ creditur musculus contractum pallescere *Harwæi* autoritate decepti ipsimet in experti auctores receperunt ? Num verò toties experto totque in locis contrariam sententiam ingeminanti, (d) *Clar. Hallero* deneganda fides, idem & asserente *clar. Abrahamo Kaw Boerhaave* (e) ?

DUPLEX distingui debet musculorum actio; activa quidem quæ à contractione, & passiva quæ à relaxatione eorundem musculorum pendet. Muscularium motionum falsam sumeret æstimationem, quicumque illas unicæ actionis speciei tribueret. (f) Tandem non eadem sunt musculis omnibus moles, figura, directio, situs, structura, connexio, usus unde differunt, variaque sortiti sunt nomina.

TARSI, crurisque reciproca motiones à novem pendent musculis, quorum tres antici, *Tibialis anticus*, *Peronæus medius*, *Peronæus minor*, sex postici, *Gastrocnemii*, *Solaris*, *Tibialis gracilis*, *Tibialis posticus*, *Peronæus major*, his auxiliantur pollicis *Extensor*, *Flexor*que *Longi*, digitorum *Extensor*, *Flexor*que communes *Longi*.

(b) Quod proposuit *Boerhaave* institut. Med. 395.

(c) *Haller* in dissertat. de partibus irritabilibus. Act. Reg. Scient. Acad. *Göttingensis*, p. 135. & 138.

(d) Vid. prim. lin. physiol. 407. Act. Acad. *Göttingensis* p. 144. notam A. in comment. ad *Boerhaavii*, prælect. Acad. 188.

(e) In Dissert. de impetum faciente.

(f) Vid. *clar. Winslow* in act. Reg. Scient. Acad. Par. p. 85. an. 1720.

 EX CHIRURGIA.

QUANTA sit vis muscularis ex eo solo intelligi posset, quòd tendo Achillæus robustissimus, crassissimusque funiculus, gravia sustinere pondera valens, rumpatur potius quàm illa violentiæ cedat extendenti. Tendo autem ille partim rumpitur, aut totaliter, sive nunc, Gastrocnemiorum solus, nunc simul cum solaris tendine rumpitur, quod utrumque observatu verum, vel etiam solaris tendinem solum intacto Gastrocnemiorum tendine, aut alterutrum Gastrocnemiorum solum rumpi non posse, nulla ratio dari potest, licet nondum exemplo probatum, aut fortè non consignatum.

SUA sunt cuique rupturæ speciei signa peculiaria, ex dolore, doloris sede, spatii inter extrema rupta amplitudine, profunditate, flexione pedis, facillimâ & indolente, aut difficili & dolentes incessu aut nullo, aut si supersit ejusdem modo & ratione, desumenda.

DOLOR aut nullus aut paucissimus, nec ullo pedis motu ampliandus in ruptione completâ, in incompletâ verò intensus, flexione pedis augendus, extensione levandus, partemque rupturæ superiorem occupans. In hac spatium inter extrema rupta leve, tendinis motum sequens, nullo motu pedis ampliandum neque minuendum notabiliter; in illâ verò majus, pedis flexione adaugendum, extensione verò minuendum. In incompletâ difficulter nec nisi cum dolore pes flectitur, in alterâ ultra gradum naturalem absque ullo dolore flecti potest. In illâ incedere adhuc, nec tamen sine maximo dolore æger potest, in hac verò secus, aut saltem pedem alternatim ante alium ferre nequit.

QUARE rupturam (a) aut sectionem (b) tendinis partialem in homine dolor constanter comitetur? Quare verò (c) punc-

(a) Paré, *Des Plaies en particulier*, Chap. 41. *Mém. de l'Ac. des Sciences* année 1728. p. 233. La Motte, *Chirurgie complete. Observat.* 412.

(b) Junckers. *Conspect. Chirur.* p. 570.

turæ ejusdem partis aut sectioni sive totali, sive partiali in canibus nullus nec sectionis momento dolor accidere visus fuerit, nec postea per plures hebdomadas ullum canis læsus passus fuerit incommodum? Quare nunc filis trajectus confui possit (d), nunc vero ruditer attrectatus tendo mortem ipsam inferat? (e) Quæstiones dantur ulterioribus investigationibus dirimendæ.

INCOMPLETÆ rupturæ prognosim quis funestiorē crederet? Rupto licet integrè tendine curatio perfectior obtinetur, incessum recuperat æger firmiorem, incommodæ claudicationis aut incessus imbecillioris fatum hos manet, quibus in parte rumpitur tendo. Unde hæc? Completè rupti tendinis extrema facile perfectèque approximabis, si verò incompletè rumpatur extrema, eadem vix ac ne vix quidem, quævis cura adhibeatur, ita sibi occurrent, ut cavitas hoc in casu observata penitus deleatur.

CUM tot mala ex tendinum puncturâ minitentur Autores, mirum certè earundem partium suturam ab ipsis commendari: nam nulla est ratio cur integrè soluto tendine cuius extrema per suturam adunantur, idem fibræ ab acu divisæ non accidat quod iisdem ab alio instrumento punctis, dum tendo integer est, contingit. His addendum eos aliquid ad suturarum felicem successum præsupponere, quod ut tendinum extrema simul coeant citra suturam, sufficit scilicet extrema suenda approximari, consutaque in approximatione per situm & fasciationem conservari jusserunt. Tendini ergo Achillis rupto absque inutili noxiæque futurâ amissâ continuitatem restitui posse ratio suadet, & experientia. Extrema rupta ad se postquam admoveris admota continendo satis erunt situs & fasciatio.

FASCIATIO autem hæc est, pede quantum poteris extenso, splenium locum læsum circumducatur, altero longo secundum cruris posterius ad plantam usque pedis posito, convolvatur fascia longa splenium hoc ex extremitatibus speciatim arctè

(c) Vid. Pet. Castel. specimen inaug. Med. Act. Acad. Gotting. p. 118.

(d) Omnes fere chirurgi practicæ Scriptores de hac tractant futurâ.

(e) Vanſwieten, comment. in Aphor. Boerhaavii 164. pag. 212.

vinciens quas postea sibi obvertendo, obversasque continendo, pedem in maximâ extensione cohibebis. Crus verò sic debere esse situm ut sit flexum monet Gastrocnemiorum femoris ossi insertio.

Fasciationem citius aptiusque absolvit machina quædam à celeberrimo nostro PETIT. excogitata. Duabus contat partibus *crepidâ* scilicet *soleâ* cui posterius sive cujus *talo* confutum est *lorum* longitudine pedem & semisse, latitudine vero transversum digitum æquans, & *fasciâ coriaceâ* octo pollices longâ, duodecim vero circiter latâ cujus latera utrinque in quatuor finduntur *capita* inæqualis longitudinis. Breviora quæ & cum applicatur machina sunt externa *fibulis* terminantur, interna & longiora foraminulis identidem pertunduntur. Ex *fasciæ* hujus faciebus altera tomento quovis loritur, ex alterâ vero exurgit *fibula*. Porro is est hujus machinæ usus, *fasciæ coriaceæ* parte *loricatâ* popliti applicatâ, quatuor *fasciæ capitibus*, superioribus circumdatur & vincitur pars femoris inferior, quatuorque inferioribus pars cruris superior, ita ut ab omni compressione libera sit ipsamet articulatio: deinde pede ægro in *crepidam* immisso *lorum* ex *crepidæ* parte posteriore exurgens per *fibulam fasciæ coriaceæ*, parti mediæ affixam trajicitur, & usque ad desideratam pedis extensionem attrahitur.

De bouvigne Has *Theses*, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO BRASDOR, Artium & Chirurgiæ Magistro, Serenissimæ Aurelianensium ducissæ Chirurgo primario, tueri conabitur PETRUS THOMAS *Æduensis* in almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister & Nosocomii Generalis Parisiensis, in domo dictâ BICESTRE, Chirurgus Præcipuus.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die 16^a Decembris Anno Salutis 1755. à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1755.